

CASUS CONSCIENTIÆ

CASUS

DE ACTIBUS HUMANIS

De necessitate voluntatis et advertentiæ mentis ad actum vere humanum, seu ad actum formaliter bonum vel malum. — De efficacia speciali voluntarii indirecti : utrum sit semper imputabile agenti? — Quomodo actus ex ignorantia, metu, vi, concupiscentia sint imputabiles? — Quomodo moralitas ex objecto, fine et circumstantiis proveniat?

CASUS I.

DE VOLUNTARIO 1°.

1° **ARNULFUS**, homo probus, sed indole petulans, cum inimico suo occurrisset, ab eoque non solum verbis, sed et verberibus lacessitus et impetitus fuisset, desiderio illum occidendi inardescit, et arrepto pugione in eum irruit. Verum, iræ impetu cohibito, ab inimico aufugit. Subinde vero sui compos factus, reformidat ne lethalem culpam admiserit ideoque, nulla interjecta mora, ad Confessarii pedes peccatum accusaturus provolvitur.

2° *Idem*, licet ad pravam blasphemandi consuetudinem destruendam serios adhibuerit conatus, in rixa cum adversario quodam habita, in blasphemias erumpit, ideoque ad diluendam hanc conscientiæ noxam Confessarium iterum requirit.

3° Alias, sciens se in ebrietate solitum fuisse rixari, sedulo attendit ne in bibendo sobrietatis limites excedat. Sed ecce a sociis ad bibendum ultra morem impulsus, ebrietate invaditur antequam ad illius periculum adverterit, et furiosus cum aliis rixas miscet. Ad se autem reversus poenitentiam agere satagit, et iterum ad Confessarium confugit.

HINC :

QUER. 1° *An ARNULFUS peccaverit in hoc triplici casu?*

2° *Quid, si consuetudinem blasphemandi destruere non curasset quidem, sed absque deliberatione blasphemasset?*

SOLUTIO :

1. — *R. ad 1^m Quæ.* ARNULFUS non videtur peccasse, saltem graviter, in ullo ex triplici casu proposito. Etenim caruit saltem plena et perfecta cognitione malitiæ et animi deliberatione, ut ex ipsis casuum circumstantiis colligitur. Insuper cum ARNULFUS pronus sit ad iracundiam, in primo et secundo casu, ex motu *primo-primo* egisse facile censendus est. Quod ad tertium casum, peccare non potuit, siquidem ad ebrietatis periculum minime advertit.

2. — *R. ad 2^m Quæ.* In adjecta hypothesi, blasphemiam ARNULFO imputandam forent. Ratio est; quia blasphemiam non retractatam omnino voluntariam existimari debent in ipsa blasphemandi consuetudine, quam novit blasphemus, nec tamen ejus emendationi studuit. Quare, licet advertentia actuali ad peccatum necessaria forte careat, non ideo a peccato et quidem gravi immunis erit, propter *voluntarium in causa*. *S. Lig. de act. humanis, n. 10.*

V. Comp. t. 1, n. 1 ad 10. — Billuart, de act. humanis diss. 1, art. 1.

CASUS II.

DE VOLUNTARIO 2°.

1° ELPIDIUS, de more bibulus et indole rixosus, in ebrietate furiosus, contentione cum TITIO habita, statuit ab eo vindictam quærere; propositum tamen ad aliud tempus remisit. Subinde in vicinam tendit cauponam, ut iram in vino sedaret; sed ecce! cum sub nocte de taberna ebrius egredieretur, infausto casu in ipsum incidit TITIUM, eumque adeo graviter verberat, ut plurimis hebdomadis a consueto labore abstinere coactus fuerit, et damnum ingens pertulerit.

2° BLASIUS, CAIO inimico suo nocere volens, ejus asinum plumbo trajicere intendit. Sed heu! duplex ei accidit infortunium! Etenim asinus globo non attingitur, incolumis saltat et exilit, dum vacca TITII, quæ post densam sepem quiete jacebat, nec ab ipso cerni poterat, infeliciter occiditur.

HINC :

QUER. 1° *An damna in ebrietate TITIO illata sint ELPIDIO imputanda, et an ideo ad ea reparanda teneatur?*

2° *Quid, si non fuerit solitus inebriari, atque ex mera inadvertentia inebriatus fuerit?*

3° *An BLASIUS ad restitutionem teneatur pro asino non damnificato, vel pro vacca occisa?*

SOLUTIO :

3. — *R. ad 1^m Quæ. Affirmative.* Ratio est, quia damna sunt vere

voluntaria et sufficienter prævisa in ipsa causa, saltem *in confuso*. Voluit enim ELPIDIUS TITIO damnum inferre, et bibit cum periculo ebrietatis, cum esset de more bibulus. Insuper censetur prævidisse, implicite saltem, se in statu ebrietatis damna illaturum esse, siquidem ignorare non poterat se in vino furiosum evadere ac posse alicui nocere. Ergo ELPIDIUS neque a peccato gravi contra justitiam, neque ab obligatione damna reparandi excusandus est.

4. — *R. ad 2^m Quæ.* In hac hypothesi, mala ab ELPIDIO patrata ipsi imputanda non essent, quia neque voluntaria forent *in actu*, ob rationis defectum, neque *in causa*, deficiente horum malorum prævisione.

R. ad 3^m Quæ. BLASIUS ad nullam restitutionem tenetur. Etenim certo non tenetur ad restitutionem pro asino, quippe qui illæsus evasit; sed neque pro vacca siquidem damnum illud minime intendit, nec in hypothesi prævidere potuit. Ergo in foro conscientiam seu ante judicis sententiam, ad nullam damni reparationem urgeri potest. Quid vero si asinus et vacca ad eundem CAIUM pertinuissent? Respondeo in rigore principiorum, neque tum BLASIUS de damno teneretur, quia semper damnum istud improvisum esset. *V. Comp. n. 5 et seq. necnon de justitia, n. 672.*

CASUS III.

DE VOLUNTARIO 3°.

1° BESSARION, Sacerdos, audita BARBARÆ devotulæ confessione: *Vade in pace, inquit, absolutione non indiges, nihil enim grave accusasti, et a paucis diebus jam absoluta es. Verum, interpositis salutaribus monitis, absolutionis formam recitat, nec ad errorem advertit, nisi prolatis orationibus quæ verba formæ subsequuntur.*

2° Alias, accepto stipendio, BERTÆ promiserat Missam die statuto celebrandam. At vero cum assignata dies advenisset, heu! infelicis memoriæ vir, promissionis penitus obliviscitur, Missamque gratuito pro defunctis celebrat.

HINC :

QUER. 1° *An BESSARION valide absolverit in primo casu?*

2° *An obligationi satisfecerit in secundo casu?*

3° *Quid in eo casu, si Sacerdos, oblitus prioris intentionis, nullam aliam posuisset; vel si pro alio stipendio celebrasset?*

SOLUTIO :

5. — *R. ad 1^m Quæ. Nego.* Destitutus enim fuit omni voluntate absolvendi, et proinde prolatio formæ sacramentalis fuit in eo mere materialis. Ergo nullus fuit actus humanus. Ergo nulla quoque absolutio.

R. ad 2^m Quæ. Affirm. Satisfecit enim obligationi si intentio prior retractata non fuerit. Porro non fuit retractata, neque *explicite*, siquidem

de retractatione ne cogitavit quidem; neque *implicite* per applicationem posteriorem: nam applicationem hanc posteriorem non posuit, nisi quia se omnino liberum ab omni obligatione existimabat. Ergo non fuit vera retractatio. Ergo perseverat intentio prior.

6. — *R. ad 3^m Quæ.* Si, oblitus prioris intentionis nullam fecisset applicationem, sane prior intentio perseverare censeretur, ut patet. Si vero pro alio stipendio Missam celebravit, *distinguo*: vel memor fuit jam factæ promissionis, vel immemor; *si prius*, eo ipso retractatur prior intentio, et sola posterior valet; *si posterius*, perseverat adhuc prior applicatio, utpote expresse non retractata. Excipe, nisi tanta esset ratio eliciendi novam intentionem, ut, si celebrans prioris memor fuisset, evidenter eam retractasset. Cæterum in praxi, stante dubio, satius esset alia vice Missam celebrare pro eo, pro quo non valuit applicatio. *V. Compend. de voluntario, et t. 2, n. 355.*

CASUS IV.

DE VOLUNTARIO INDIRECTO 1^o.

1^o RICARDUS, caupo, de magno hospitem concursu gaudens ac gestiens, copiosum vinum bibulis ministrat, licet horum plures inebriandos esse prævideat. Is ratione consueti lucri et quandoque impediendarum blasphemiarum impellitur, nec putat se in hoc delinquere. Facile etiam in hospitium suum admittit viros, sermones impios vel obscenos proferentes, nec eos arguit, quia, ait, non tenetur ratione officii de eorum agendi ratione sollicitus esse.

2^o NEMESIUS, die quadam, 20 asses mercedis gratia, CAIO bajulo, ad suum hospitium sarcinam quamdam ferenti offert. Requirit bajulus 25 asses. Negat caupo se quidpiam amplius ei præstiturum esse, licet ille furiosus in imprecationes et blasphemias erumpat.

HINC :

QUÆR. 1^o An RICARDUS graviter peccet vinum inebriandis ministrando, sola consueti lucri ratione defensus?

2^o An graviter peccet id agendo ad blasphemias bibulorum præcavendas?

3^o An graviter peccet impios et obscenos sermones hospitem non impediendo?

4^o An NEMESIUS in secundo casu præstare debuerit præfatos quinque asses, licet indebitos, ad blasphemias bajuli impediendas?

SOLUTIO :

7. — *R. ad 1^m Quæ.* 1^o *Affirm.* in casu particulari, nempe, si agatur de bibulo jam ebrietati proximo, qui potum largiorem postulet. Ratio est, quia, in casu particulari determinato et certo, damnum leve ipsi subeundum est, ut peccatum indubium et determinatum præcaveat. — *S. Lig. l. 2, n. 159.*

2^o Generatim et per se *nego*; quia caupo non tenetur peccata ebrietatis, quæ hospites committere solent, impedire cum gravi suo damno, quia caritas cum tanto incommodo non urget. Ratio autem consueti lucri percipiendi generatim sufficit, ut prædictis peccatis in genere et in confuso prævisis non obstet. Hæc enim peccata per accidens et præter cautionem intentionem adveniunt; et insuper sine suo gravi detrimento potum negare nequit. Etenim vix ulla invenietur taberna in qua aliqui hospitem non soleant se inebriare, et postea rixas miscere, etc.; quare, si caupo vinum deneget, hospites alias adibunt popinas, in quibus largus potus ipsis ministrabitur, et proinde magnum damnum inutiliter subibit. *Elbel, n. 17. — S. Lig. l. 2, n. 69.*

8. — *R. ad 2^m Quæ.* *Neg.* prorsus. Ratio enim blasphemias impediendi satis est, ut ebrietatem permittat, quia ex duobus malis majus vitandum est. Malum vero majus blasphemiam est, quum, teste *Hieronymo*, nihil blasphemiam horribilius. *In Isa. l. 7, c. 18.*

R. ad 3^m Quæ. *Affirm.*, si ingens sit scandalum aliorum adstantium, et caupo hæc facile impedire possit. Ad id enim tenetur, non quidem ratione officii, sed ex ratione generali caritatis, qua tenemur ad malum præsertim spirituale proximi avertendum, cum id facile possumus. Non tenetur tamen caupo ad omnia peccata hospitem impedienda cum gravi suo damno. Hoc sequitur ex responsione ad 1^m Quæ. Responsio ista autem ex variis rerum adjunctis temperanda est.

9. — *R. ad 4^m Quæ.* *Nego*, si NEMESIUS pretium consuetum vel rationabile tribuerit. Etenim detrimentum pati in bonis temporalibus ad impediendam alterius malitiam non tenetur. Præterea cum casus similes facile possint occurrere, sane damnum notabile sufferre deberent pii homines ad aliorum peccata impedienda. Imo, si ita hominibus pravis indulgendum foret, inde ansam magis ac magis blasphemandi arriperent. *V. Comp. t. 1, n. 236, quæ. 2^o.*

CASUS V.

DE VOLUNTARIO INDIRECTO 2^o.

1^o NICOLINUS, juvenis, bonis quidem moribus instructus, sed amore scientiæ lectioni inhians, sæpius legit libros qui, licet pravi in se non sint, attamen paulo minus castigati passim apparent. Inter legendum, nonnullas cogitationes minus castas et concupiscentiæ motus experitur, quibus spretis denegatoque firmiter consensu, inceptam prosequitur lectionem. Sed postmodum stimulis conscientiæ exagitatus ad Confessarium prope- rat, et ab ipso quærit utrum possit, non obstantibus quæ suboriuntur tentationibus, hujusmodi lectionibus indulgere.

2^o LUBANUS non raro recreationis gratia equitare solet. Ast sæpe inter equitandum, motus carnales, imo quandoque et ipsam pollutionem expe-

ritur. Licet autem hujusmodi prava effectus ex animo detestetur, timet tamen ne conscientiam graviter maculet, et iterum anxius a Confessario querit utrum propositum non amplius equitandi efformare debeat?

HINC :

QUÆR. 1^o *An peccaverit NICOLINUS in primo casu?*

2^o *An LUBANUS in secundo casu?*

SOLUTIO :

10. — *R. ad 1^m Quæs.* NICOLINUS ab omni peccato excusandus est, quia ex una parte causam leviter et remote tantum in prava motus influentem posuit, et ex alia parte, ex ratione honesta et utili egit, seu ex amore scientiæ acquirendæ, non vero ex curiositate, aut ex aliqua naturali delectatione; et insuper actum displicentiæ in effectum pravum studiose elicit. *Billuart, Diss. 1, art. 1. — V. Comp. n. 10, 8^o.*

Hinc a Confessario non est prohibendus ab his lectionibus, sedulo tamen adhortandus est ut cautè procedat, et pietatem in se foveat.

11. — *R. ad 2^m Quæs.* Non inquietandus est LUBANUS. Licet enim recreationis causa agat, valde grave ipsi foret illud genus oblectamenti penitus abjicere. Secus, si de uno vel altero casu particulari tantum ageretur. *V. Comp. n. 431, 6^o. — S. Lig. n. 483. — Bill. de act. hum.*

CASUS VI.

IGNORANTIÆ EFFECTUS 1^o.

ADALBERTUS sic confitetur : 1^o Volens occidere TITIUM inimicum, occidi CAIUM amicum meum. 2^o Globo jaculando cervum, simul trajeci inimicum ad necem quæsitus, in dumeto latenter stantem. 3^o Ignorans esse vigiliam, manducavi carnes, sed ex pigritia die Dominica non adfueram Missæ, in qua obligationes in hebdomada occurrentes denuntiari solent.

HINC :

QUÆR. 1^o *An, vel qualis ignorantia a peccato excuset?*

2^o *Quid de ADALBERTO judicandum?*

SOLUTIO :

12. — *R. ad 1^m Quæs.* 1^o Ignorantia invincibilis omnino excusat a peccato, quia penitus malitiæ cognitionem impedit, adeoque tollit voluntarium. Stante enim illa ignorantia, obligatio legis præcipientis vel prohibentis minime cognosci potest, et proinde urgere nequit, siquidem nihil est volitum, quin fuerit præcognitum. 2^o Ignorantia autem vincibilis non excusat a peccato, quia non tollit voluntarium, cum, ea stante, adsit cognitio sufficiens, saltem *in confuso*, aut quæ abest, culpa agentis absit, qui neglexit inquirere.

13. — *R. ad 2^m Quæs.* In primo casu ADALBERTUS ab omni peccato

ratione homicidii patrati excusatur, si occisionem CAII nullomodo prævidere potuit, v. gr. si diligentiam adhibuerit, ut resciret neminem alium feriendum esse. Ratio est, quia actus externus non est formaliter injuriosus CAIO, quem omnino involuntarie occidit. Proinde ad nullam restitutionem erga ejus hæredes obligandus est. Secus vero si debitam diligentiam omisit, vel periculum CAIUM occidendi in confuso prævidit.

In secundo casu, similiter est distinguendum : vel enim adhibuit diligentiam debitam ad damnum alterius præcavendum, vel non. Si prius, ADALBERTUS ab omni peccato ratione actus illius, immunis est, deficiente voluntario. Nec obstat quod inimicum ad necem quærat, quia, licet eum occidere cupiat, non tamen in præsentem occidere intendit. Secus vero si posterius, ut patet.

14. — *In tertio casu*, iterum distinguas oportet. Si ADALBERTUS, dum Missæ interesse noluit die Dominica, dubium grave habuit de obligatione forte eventura intra hebdomadam, et neglexit inquirere, aut alios prudenter interrogare hac de re, tunc ejus ignorantia fuit vincibilis, et peccavit contra Ecclesiæ præceptum. Si autem, nec tunc, nec postea ipsi occurrit cogitatio de præfata obligatione, licet peccaverit omittendo Missam, non peccavit tamen jejunii omissione.

CASUS VII.

IGNORANTIÆ EFFECTUS 2^o.

ABUNDIUS, Sacerdos, approbatus pro excipiendis fidelium confessionibus, experitur scientiam suam ad illud officium rite obeundum tenuem et insufficientem esse; pergit tamen audire confessiones, ex eo quod de idoneitate sua authenticum Episcopi testimonium habeat; hinc, defectu scientiæ et studii, varios committit errores circa speciem peccatorum inquirendam, et præsertim circa restituendi obligationem. A Confessario objurgatus et ad restituendum pro pœnitentibus obligatus, statuerat serio ad studia theologiæ moralis incumbere, et interea sacrum ministerium intermittere, cum ecce repente advocatur ad TITIUM moribundum, variis restitutionibus, ut fama fert, obnoxium. Pergit anceps, miserum absolvit dubius, non valens implicatam discernere conscientiam, et revertitur tristis, mussitans se iterum restitutioni pro pœnitente obnoxium fore.

HINC :

QUÆR. 1^o *An errores illi sint ABUNDIO imputandi?*

2^o *An in singulis peccaverit graviter?*

3^o *An restitutioni sit obnoxius?*

SOLUTIO :

15. — *R. ad 1^m Quæs.* Errores priores ABUNDIO quidem per se imputandi sunt, quia novit se officio suo imparum esse, et in eo perseveravit, quin se idoneum reddere diligenti studio satageret; non autem ei impu-

tandi sunt errores in TITII moribundi confessione admissi, quia, instante necessitate, debita libertate caruit.

R. ad 2^m Quæst. Affirm. per se, si, habitualiter saltem, ignorantia suæ memor fuerit; excipe tamen casum in quo TITIUM moribundum absolvit, ut sequitur ex dictis.

16. — *R. ad 3^m Quæst.* ABUNDIUS ad nihil tenetur probabilius pro cooperatione negativa ad damnum tertii, v. g. si obligationem restituendi urgere omiserit. Tenetur autem de damnis sive pœnitenti, sive aliis, ex obligatione, vel obligationis negatione positive injusta provenientibus. Excipe casum moribundi, in quo libertate destitutus fuit.

Attamen errorem post factum corrigere tenetur in quantum fieri potest. Quid in praxi Confessarius de obligatione restituendi dubius relative ad moribundum? Præstat ut taceat; vel, si possit, de licentia pœnitentis prudenter adhibeat testes ad rem hæredibus declarandam, ut id quod statuatur peragere valeant. *V. Comp. n. 691.*

CASUS VIII.

DE METUS INFLUXU.

1^o SEMPRONIUS, Sacerdos, laicali veste indutus, transiens per loca hæreticorum, catholicis et præsertim Sacerdotibus infensissimorum, omittit Breviarii recitationem, carnes diebus prohibitis manducat, ne agnoscatur. Sed cum subinde recognitus fuisset, et ad manducandas carnes die veneris metu mortis adigeretur, obtemperat dicitando Ecclesiam, ut piam matrem, obligationem legis suæ non urgere cum tanto incommodo.

2^o LIBORIUS, famulus, domum, absente domino, custodiens, sub nocte invaditur a fure, qui districto pugione pecuniam ab eo requirit. Cum autem LIBORIUS nullam propriam habeat, 100 fr. ad dominum pertinentes accipit et furi tradit, ut vitam incolumem servet. Sed ab angustiis extremis nondum liberatur misellus. Tradita enim pecunia non sufficit furi, qui mortem famulo minatur, nisi locum ubi arca nummaria domini reconditur, sibi patefaciat. Obtemperat iterum LIBORIUS, ut mortem effugiat.

HINC :

QUÆR. 1^o An SEMPRONIUS excusari queat in utroque casu?

2^o An LIBORIUS peccaverit tum in primo, tum in secundo casu; et an ad restitutionem teneatur?

SOLUTIO :

17. — *R. ad 1^m Quæst.* 1^o SEMPRONIUS non peccavit horas divinas omitendo, neque carnibus vescendo ne ab hæreticis agnosceretur; lex enim humana non urget cum gravissimo incommodo. 2^o Minime autem excusari potest a peccato gravi et gravissimo in secundo casu; metus enim etiam mortis in odium Religionis incussus eximere nequit a legis obser-

vatione, siquidem tunc urget præceptum naturale rigore prohibens id omne quod in Religionis contumeliam præcipitur.

18. — *R. ad 2^m Quæst.* 1^o LIBORIUS in primo casu videtur omnino excusandus ab omni peccato et onere restitutionis; herus enim præsumendus est cooperationi famuli consentire, ut e periculo mortis eripiatur. 2^o Imo probabiliter etiam excusari potest in secundo casu, quia in summo vitæ periculo omnia bona evadunt communia, ita ut subripiens id quod ad vitæ conservationem requiritur, nullam domino injuriam inferat. *V. Comp. n. 616-687. — S. Lig. n. 520. — Sunt tamen qui negant cum Billuart.*

CASUS IX.

DE METU ET VIOLENTIA.

BERTINA, famula, mulier timens Deum, adeoque a peccato abhorrens, pluries ab hero enixe ad malum sollicitata, toties ei restitit. A Confessario inducta ad hujusmodi peccandi occasionem deserendam, rogat et instat ut in eodem famulatu remanere queat, quia stipendium majus a domino accipit, aliumque locum honestum difficile invenire valeret. Ejus votis annuit Confessarius.

Verum mox ab hero iterum sollicitatur, et ab eo invita opprimitur. Quid misera? Primum clamare non audet, ne herum simul et seipsam diffamet. Subinde clamare volenti, mortem minatur ille libidine furiosus. In extremis igitur versans angustiis BERTINA externe se habet mere passive, interne vero ex corde et animo peccatum detestatur.

HINC :

QUÆR. 1^o An BERTINA debuerit occasionem hanc peccati deserere, et ad hoc a Confessario obligari, etiam sub pœna denegandæ absolutionis?

2^o An graviter peccaverit non clamando ob rationes ab ipsa allatas?

3^o An graviter peccaverit non clamando, et se passive habendo, metu mortis?

SOLUTIO :

19. — *R. ad 1^m Quæst.* Suadendum quidem foret BERTINÆ ut præsentem peccati occasionem desereret, si alium locum facile invenire potuisset; attamen, cum de occasione tantum remota ageretur, ad id obligari non poterat.

R. ad 2^m Quæst. Controvertitur. Juxta aliquos peccavit graviter *per se*, primum non clamando, nisi bona fide excusata fuerit. Adhibere enim remedium facile debuit ad tantum castitatis periculum evadendum; nec valent allatæ excusationes. Nullam ipsa famæ jacturam incurreret clamando, siquidem solæ honestæ mulieres in pari casu clamare audiuntur. Quod

autem ad famam heri attinet, propriæ malitiæ imputet si famæ periculum patiat. Verum juxta alios multos non peccavit si a clamando abstinuerit ob infamiæ timorem, vel etiam ob verecundiam. *Lugo, de Just. disp. 10, n. 198, et alii apud Lacroix, l. 3, p. 1, n. 916.*

20. — *R. ad 3^m Quæst. Controvertitur*; sed, juxta *Lacroix* et alios, *ut supra*, a fortiori ob mortis metum excusanda est, cum non fuerit vera cooperatio.

CASUS X.

DE CONCUPISCENTIA.

MARCHANTIUS 1^o legit varias historias, prævidens inde secuturam delectationem de objecto turpi. 2^o Data occasione curiose aspicit statuarum nuditates, insurgentibus tamen motibus consensum denegat. 3^o Dum incidit casu cogitatio de objecto turpi, et inde sensitiva delectatio, eam minime repellit. 4^o Sæpe in somno pollutionem patitur. 5^o Delectationem turpem semel habuit, sed dubitat an dormiens aut vigilans. 6^o Cum ex conditione sua, nempe mercatoris, conversari debeat cum personis cujuslibet generis, majorem propensionem sentit ad agendum cum feminis, quam cum viris.

HINC :

QUÆR. *Quid de MARCHANTIO nostro judicabit Confessarius in singulis casibus?*

SOLUTIO :

21. — *R. ad 1^m*. Si ex aliqua causa honesta legat, non peccat, modo nullum præbeat consensum tentationi, quia tunc motus concupiscentiæ sunt prorsus involuntarii, et insuper, adest causa sufficiens illos permitendi. Si vero legat ex curiositate res parum periculosas, peccat quidem, sed *per se* venialiter tantum, quia causa non est nisi venialis, secluso semper consensus periculo. Verum, si absque causa legat res valde turpes, graviter peccat, saltem ob complacentiæ periculum. Excipe forte si MARCHANTIUS legens ex sola curiositate ob ætatem provectam, et frigidam complexionem, aut aliam peculiarem rationem, grave libidinis periculum non incurrat. *S. Lig. n. 426. — V. Compend. n. 419. — Billuart, de act. humanis, diss. 1, art. 1.*

22. — *Ad 2^m*. Graviter peccat si nuditates sint totales et aspectus de proposito, proxime et cum mora fiant, quia sine ratione ponit causam turpium motuum, et periculum gravius labendi incurrit. Secus vero *per se*, si aspectus fiant obiter et a longe, aut etiam si in statua ars non emineat. *Ita S. Lig. n. 424, de picturis, quod etiam statuis applicari posse videtur.*

Ad 3^m. Peccat graviter, saltem practice loquendo; tenetur enim actum displicentiæ elicere, et cogitationes alio divertere, si ad tenta-

tionem clare advertat, ob periculum complacentiæ, quod hac in re proximum est.

23. — *Ad 4^m*. *Per se* ab omni culpa immunis est, ob defectum libertatis, et voluntarii. Attamen animadvertendum est, an in die præcedenti, præsertim vespere, sub nocte, causam pollutioni dederit, v. g. turpibus cogitationibus vacando, et simul periculum pravi effectus modo confuso præviderit; tunc enim ipsi ad culpam imputandus erit.

Ad 5^m. Præsumere potest illud in somno evenisse, quia ea quæ ab homine vigilante fiunt, clare et facile dignoscuntur. Ergo, stante dubio, velut in somno peracta censerentur debent. *Voit, n. 37.*

24. — *Ad 6^m*. Excusandus est a peccato, modo honeste agat et consensum tentationibus dare præcaveat. Non refert enim quod sentiat majorem inclinationem ad agendum cum feminis quam cum viris, quia hujusmodi inclinatio non est moralis, nec libera, sed potius naturalis, seu in ipsa natura fundata. Ergo formaliter mala non est. Fatendum tamen est hoc molestum esse castæ menti, imo et incautis periculosum. Suadendum igitur est MARCHANTIO ut studeat hanc inclinationem moderari, ac pro viribus reprimere. *Elbel, n. 51.*

CASUS XI.

DE OBJECTO MORALITATIS.

MONICA, tabernaria: 1^o Blandam et comem se exhibere solet hospitibus ad suam tabernam confluentibus, eo fine ut sæpius redeant, sicque lucrum majus percipiat, quamvis prævideat plures, occasione sui, interne peccaturos esse. 2^o Filiæ suæ BERTINÆ ad nuptias valde favorabiles aspiranti suadet, ut erga sponsum gratam se exhibeat, eique blandiatur, imo nec ejus oscula, aliave lenimenta sponsis sat consueta, recuset, ne forte ab ipso contemnatur atque derelinquatur. 3^o Ad impediendas rixas et blasphemias, ad quas proclivis est ejus maritus, levia mendacia dicere solet; experientia enim ipsi constat hæc ad pacem domus servandam omnino necessaria esse.

HINC :

QUÆR. 1^o *An damnanda sit ratio agendi MONICÆ erga hospites?*

2^o *An excusanda quoad consilia filiæ suæ data; et quid si filia jam esset ex consortio sponsi gravida, timeretque ne eam gravi infamia derelinqueret?*

3^o *An probandus modus virum compescendi?*

SOLUTIO :

25. — *R. ad 1^m Quæst.* Non videtur damnanda MONICA, ex eo quod comiter et blande agat erga hospites, modo terminos honestatis non excedat, neque scandalum ullum præbeat. Hic enim est modus indifferens ad finem bonum seu ad lucrum adhibitum. Sed cavere debet, ne liberio-rem et familiarem se exhibeat. *Elbel, n. 17.*